Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 585

Quelle:
Copyright:

Prudentia. fortitudo. Temperantia. Juſtitia. Qui pretitulatur formula uite honeſte. Editus a quodam mar-

tino epiſcopo ad mironem regem. *Martinus* hic eſt, ut ipſe ſibi in *Epitaphio* cecinit:

Pannoniis genitus tranſcendens aequora vaſta
Galliciae in gremium diuinis nutibus actus,

ubi ex Abbate *Dumienſi* factus eſt *Braccarenſis* Archiepiſcopus, diemque a. 574. juxta alios vero 580. clauſit; *Miro* vero *Theodomiri* filius Rex *Suevorum* in *Hiſpania* ab an. 569. aut 570. usque ad an. 582. Praefationem *Martini* ad hunc Principem, cujus prima, ut ſolet, verba, jam *Trithemius* in *Script. Eccl. n.* 221. citat, primum ſe eruiſſe e *Cod. Rhemenſi* putabat *Mabillonius*, eamque *Dacherius Spicil.* edit. nov. T. III. p. 312. publicavit; ſed praeter quam, quod teſtetur *Baluzius*, eam una cum ipſo Libello jam an. 1544. *Pictavis* ab *Elia Vineto* editam, objacet mihi *Baſileenſis* editio a. 1545. a *Gilb. Cognato Nozereno* e membrana *Guilhelmi Clereval.* in 8. min. curata, quae et ipſa *Praefationem ad Mironem* in fronte geſtat; unde mirum, eam ab aliis editionibus, puta *Biblioth. PP. Lugd.* T. X. p. 382. abeſſe, atque id fortaſſe cauſſam praebuit, ut libellus olim et *Senecae* et *Ciceroni* adſcriberetur. Incipit vero haec Praefatio: *Glorioſiſſimo. ac tranquilliſſimo et inſigni catholice fidei predito pietate mironi regi. martinus humilis epiſcopus ſalutem. Non ignoro clementiſſime rex flagrantiſſimam* &c. Textus illius emendatior eſt in *Cod.* noſtro et in edit. *Dacherii*, quam in edit. *Cognati*, ubi pro *miniſteriis* et *patrantur inſtituit*, prave legitur *miniſtris* et *patienter inſtitui*. In Opuſculo ipſo jam *Cognati* editio, jam ea, quae in *Bibl. PP. l. cit.* exhibetur, jam *Codex* noſter peccat, ut adeo non niſi collatis omnibus tribus genuina lectio ſtabiliri queat. Addam ſpeciminis loco ex ipſo principio luculentam impreſſorum emendationem. Legunt illa *Singulae* (quatuor virtutes) *tibi in officiis, quae ſubſunt, annexae ſunt ac bene moratum virum efficiunt.* Corrige e Noſtro: *Singulae igitur his officiis quae ſubter adnexa ſunt, honeſtum ac bene moratum* &c. Ita et extrema *Libelli* mire corrupta ſunt in editis, in *Cod.* ſaniora.

IV. *fol.* 23. p. 2. *Incipit ſermo ambroſii autperti presbiteri de cupiditate uiris ſecularibus ualde utilis. habens ſcripturarum teſtimonia octoginta et eo amplius. Lege quicunque ad edificationem.* Initium: *Sanctorum aeccleſiam fratres Kariſſimi eſſe dei agrum quis dubitet* &c. Autor natione *Gallus*, ab aliis *Antbertus*, quin *Ansbertus* dictus, in *Italiam* delatus in S. *Vincentii ad Vulturnum* O. S. B. Monaſterio Monachum induit, et Abbas obiit an. 778. *Sermonis* noſtri, quem alii *Librum*